



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd ob ineptas quasdam vocolas digladiandum non erant. Cap. LXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

demque in nobis indoles, aut mens versatur) tamen fieri poterit, ut eximia concordia sincere integreque seruetur: & vna inter omnes animorum conspiratio custodiatur, verum de diuina providentia vna vobis sit omnino fides, vnus animorum consensus, vna de Deo sententia.

*Quod ob ineptas quasdam voculas digladiandum non erat.*

CAP. LXIX.

**A**T quæ de leuissimis istis quæstionibus inter vos argute & subtiliter disquiritis, licet non in eandem sententiam tanquam pedibus eatis, ea tamen intra cogitationis vestrae quasi fines continere debetis, intimo mentis domicilio recondita. Communis autem amicitie bonum, vera fides, reuerentia erga Deum, & legis obseruationem, stabilis firmaque apud vos maneat. Redite in gratiam, & mutuam inter vos necessitudinem colite, vniuersoque populo suos mutuos complexus reddite: ipsique vestris ipsorum animis contentionis labe purgatis, iterum amice & beneuole vos, alter alterum, excipite. Nam sæpenumero post inimicitias depositas, amicitia iterum reconciliata plus solet habere iucunditatis.

*Quod pietatis causa summo opere dolens, lachrymas profunderè compulsus est, iterque quod in orientis partes instituerat, propter hæc in aliud tempus distulerat.* CAP. LXX.

**D**Ate igitur mihi dies tranquillos, & noctes curæ ac molestiarum expertes, ut voluptas quæ tum ex sincera concordia luce, tum ex vita quieta capi solet, mihi integra in posterum conseruetur. Quod quidem si minus contingat, necesse est ingemiscere, lachrymis & mœrore omnino confici: nec fieri potest, ut vitæ cursum de reliquo tranquille & sedate transigam. Nam quamdiu Dei populus eum dico, qui communi mecum erga deum obsequio fungitur) tam iniqua perniciosaque contentione, ab se mutuo dissidet, quomodo fieri potest, ut ipse animo tranquillo consistat? Atque ut incredibile huius doloris morsum intelligatis sic accipite. Non ita pridem ad Nicomedentium ciuitatem aduentans, extemplo iter versus orientem maturè facere constituebam.

Ac me